



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 3. PP. Garnetus & Oldcornus coram Judicibus interrogati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

byum vero a se enixe rogatum fuisse, Sæc. XVII. A. C. 1606.  
 ut is nihil contra Regem Regnumque moliretur, summo Pontifice severe prohibente, ne sese ulli conspirationi immisceret: preces quoque se fudisse fatebatur pro avertendo tanti mali successu & præveniendis acerbioribus edictis, quæ in proximis Comitibus contra Catholicos condenda timuisset.

## §. III.

*PP. Garnetus & Oldcornus coram  
 Judicibus interrogati.*

Jam ter & vicies Henricus Garnetus P. Calmet Hist. Univ. l. 152. n. 38.  
 a decima tertia Februarii usque ad P. Juven. l. 13. p. 5.  
 vigesimam sextam Martii diem interro- Rapin. & Thuan. l. 6.  
 gatus biduo post in Londinensi Tribu- Merc. Gal-lobelg. tom. 6.  
 nali publico sistitur judicio, in quo Coo- pag. 1.  
 kius longa oratione crimina Garneto Epist. Casaubon. ad P. Front. edit. 1709.  
 objecta prosequatur: Hic vero ad pag. 424.  
 suam defensionem exponebat, quod li-  
 cet de conjuratione diu per rumores  
 cognovisset; magis vero specialia ex solo  
 Patre Grenwello didicisset, interposito  
 tamen Sacræ Confessionis sigillo, cu-  
 jus arcani religionem violare nefas es-  
 set: de cetero autem ipsemet ab hoc fa-  
 cinore, quod ipse summopere detesta-  
 retur, Grenwellum dehortatus fuisset.  
 Hæc cum dixisset Garnetus, mox Cæ-  
 cilius Saresberiensis Comes eum acerbe

Sæc. XVII. A. C. 1606. objurgans aiebat: „Si factum tanto-  
 „pere detestatus es, cur Grenwello con-  
 „fidenti absolutionem indulxisti, ante-  
 „quam ipse etiam crimen suum ex ani-  
 „mo damnasse, per pœnitentiam osten-  
 „disset? dein, prosequeretur Comes,  
 „nonne extra Confessionis sigillum con-  
 „jurationis notitiam a Catesbio hausisti,  
 „cur crimen tunc non indicasti? nonne  
 „ex literis tuo chirographo munitis, at-  
 „que ad Regem missis factus es, quod  
 „P. Grenwellus hoc tibi non tanquam  
 „peccatum, sed tanquam rem sibi a-  
 „liunde cognitam consilii gratia mani-  
 „festarit? nonne cum Grenwello dudum  
 „in Essexia simul de hac conjuratione  
 „consultasti: cur ab eodem interroga-  
 „tus, quis futurus esset Regni Prote-  
 „ctor, respondisti, differendum esse re-  
 „sponsum, donec conatus finem suum  
 „esset sortitus? Ad hæc omnia dur-  
 taxat reposuit Garnetus, se conjuratio-  
 nem ex P. Grenwello, qui suam de ea  
 sententiam exquirebat, didicisse, sed  
 eam fuisse detestatum. Haud multo  
 post quidam Nobiles Angli abs dubio sub-  
 ornati captivum invisebant ab eo scisci-  
 tantes, utrum si Ecclesia Romana ipsum  
 tanquam Martyrem esset declaratura,  
 ipse hanc rem comprobare auderet: ad  
 hæc exclamans Garnetus respondit:  
*Martyrem me, o qualem Martyrem? id*  
*Eccle-*

*Ecclesia nunquam faciet, & ne faciat, Deum suppliciter rogo.* Hoc ipsum Garneti responsum ex humilitate prolatum nequiter pro reæ conscientia inditio habebatur, Alter quoque ejus socius P. Oldcornus quæstioni subjectus de conjuratione, quam suis responsis approbasse accusabatur, fassus quidem erat, quod cum Littletono desuper sæpius fuisset collocutus, ita tamen, ut eam minime ratam haberet, & si quid obscurius dixisset, nec satis enucleate, idcirco ita locutus fuisset, quod timeret, ne insidiosè interrogaretur: Hæc responsio, cum non satisfaceret Judicibus, quinques tormentis acerrimis ad edicendam veritatem adigebatur, nihil inde mota hujus Viri constantia: unde Judices declarabant, Oldcornum ex animi sui sententia nequaquam locutum esse, ac verbo quidem conjurationem improbasse, eam tamen animo ratam habuisse, proin ex iis, quæ animo cellasset, perspicue reum esse. His ita agitatis P. Oldcorno mortis sententia denuntiatur.

## §. IV.

*P. Oldcornus Vigornia, & P. Garnetus Londini extremo supplicio affecti.*

A 5

Pro-

Sæc. XVII.  
A. C. 1606.